

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XX - N. 1

1988

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XIII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

Semestrale

IUNIO 1988

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

| | |
|--|----|
| Constitutio Apostolica de Romana Curia <i>Pastor Bonus</i> | 3 |
| Litterae Apostolicae Motu proprio datae quibus Pontificia Commissione pro America Latina novo ordine disponit <i>Decessores Nostri</i> | 62 |
| Litterae Apostolicae Motu proprio datae quibus ex integro ordinatur materia respiciens muneris Patronorum et Advocatorum exercitium apud Romanae Curiae Dicasteria necnon ipsius Sanctae Sedis causarum patrocinium <i>Iusti Iudicis</i> | 65 |

ALLOCUTIONES

| | |
|--|----|
| Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos | 69 |
|--|----|

ACTA COMMISSIONIS

| | |
|---------------------------------------|----|
| Responsa ad proposita dubia | 76 |
|---------------------------------------|----|

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS

| | |
|--|----|
| Litterae Circulares « <i>De Processu super matrimonio rato et non consummato</i> » . | 78 |
|--|----|

CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS

| | |
|--|----|
| Epistula ad supremos Moderatores Institutorum religiosorum et Societatum vitae apostolicae | 85 |
| Epistula ad supremos Moderatores Institutorum saecularium | 87 |

SUPREMUM SIGNATURAEE APOSTOLICAEE TRIBUNAL

| | |
|--------------------|----|
| Decretum | 88 |
|--------------------|----|

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

| | |
|---|-----|
| I. Coetus studiorum « <i>De Normis Generalibus</i> » (Sessio VI) | 95 |
| II. Coetus studiorum « <i>De Magisterio ecclesiastico</i> » (Sessio II) | 122 |
| Opera a Commissionis Bibliotheca recepta | 148 |

Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo

I

COETUS STUDIORUM DE NORMIS GENERALIBUS

Sessio VI

(diebus 25-30 ianuarii 1971 habita)

Diebus 25-30 ianuarii 1971, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studii ad recognoscendas normas generales Codicis.

Conventibus intererant Rev.mi vel Ill.mi octo Consultores et Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, qui munere praesidis fungebatur; atque Rev.dus D. Nicolaus Pavoni, Adiutor a studiis, qui munere actuarii fungebatur; praeterea aliquos conventus participatus est Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Quaestio proposita, in hac sessione tractanda, erat: compositio canonum de instructionibus, de decretis et de statutis, si quaedam statui possunt normae.

Antequam vero de hac quaestione tractarunt huius coetus membra, relationem de priore huius coetus sessione approbaverunt, atque animadversiones nonnullas proposuerunt de aliquibus canonibus titulum Codicis « De temporis supputatione et de praeceptis » respicientibus, et alias etiam mutationes introducendas in textu canonum antea admisso approbarunt.

Ad quaestiones de instructionibus, de decretis et de statutis, votum ad Commissionis Secretariam misit tantum Rev.mus unus Consultor, qui uti tertius indicabitur.

Aperitur Sessio petitione Rev.mi Secretarii Ad. circa approbationem vel minus Relationis praecedentis Sessionis. Omnes adstantes eamdem approbarunt.

Rev.mus primus Consultor petiit ut, prout iacet (absque ulterioribus explicationibus), deleatur sententia quae, eidem tributa, apparet ad paginam 41 eiusdem Relationis originalis.

**DISCEPTATIO DE CANONIBUS IAM APPROBATIS
SCHEMATICIS « DE TEMPORIS SUPPUTATIONE »**

Textus canonum « De temporis supputatione » iam probatus:

Canon 1

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 2

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptionem; secus intermissum.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut per sequenti competit ut ignorantia aut agere non valenti non currat.

Canon 3

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatius 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

Canon 4

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel plurimis mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

RECOGNITIO CANONUM

Ad canonem 1

Placet textus omnibus uti est.

Ad canonem 2

Textus omnibus placet uti est.

Ad canonem 3

Ad § 2: Rev.mus secundus Consultor non videt necessitatem huius § 2, quia menses et dies calendariales semper sunt continui.

Ill.mus tertius Consultor declarat quod § 2 potest supprimi sed potest etiam servari.

Rev.mus Secretarius Ad. censet § 2 utilem esse, quia explicat quod tempus si est continuum sumi debet prout est in calendario.

Ill.mus quartus Consultor aestimat normam utilem esse si « pro uno mense » determinari debet sicut in calendario.

Placet omnibus ut remaneat.

Ad canonem 4

Textus placet uti est.

DISCEPTATIO DE CANONIBUS EMENDATIS SCHEMATICIS « DE PRAECEPTIS »

Canon 1

Praecepta, quibus applicationi normarum iuris prospicitur, dari possunt, infra fines suae competentiae, ab iis qui potestate gaudent executiva.

Canon 2

§ 1. Praecepta, vi potestatis regiminis singulis data, eos quibus dantur ubique ligant, nisi aliud constet; cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud expresse caveatur.

§ 2. Praecepta de quibus in § 1, quibus personae obligatio imponitur aut eius ius coarctatur, urgeri tantum valent, si legitimo documento necnon ad normam iuris intimata fuerint.

Canon 3

§ 1. Praecepta communia, vi potestatis regiminis data, nisi expresse statuantur personalia, subditos ligant in territorio versantes tantum; peregrinos ea tenent tantum, quae se referunt ad leges quibus iidem tenentur ad normam can. 14, § 2, 2°.

§ 2. Praecepta communia non cessant resoluto iure praecipientis, nisi contrarium expresse caveatur.

§ 3. Ad praceptorum communium promulgationem et vacationem quod attinet, serventur praescripta can. 9 (de legibus).

Canon 4

§ 1. Praecepta quae alia potestate quam regiminis data sunt eos quibus imponuntur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet.

§ 2. Quae praecepta, si iura personarum affiant, ad normam iuris imponi debent.

Ad canonem 1

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quod hic agitur tantum de praceptorum a potestate exsecutiva datis et quaerit quid de rubrica.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod sunt omnia praecepta data ex potestate regiminis.

Rev.mus quintus Consultor quaerit cur sermo fit in canone de normis iuris et non de legibus et consuetudinibus.

Respondunt Rev.mus Secretarius Ad. et Ill.mus tertius Consultor quod formula « norma iuris » comprehendit omnes dispositiones quae characterem legislativum habent.

Textus canonis placet omnibus uti est.

Ad canonem 2

Quoad § 2: Rev.mus primus Consultor declarat quod praecepta, quibus ius coartatur — et ideo in forma iure praescripta dari debent — non possunt cessare resoluto iure praecipientis; si enim cessant, ordo procedendi (sive modo administrativo, sive modo iudiciali) turbatur, scilicet procedura de novo incipere debet. Non sufficit, ut statui possit cum pracepto duratio ultra tempus officii praecipientis, quia, si per inadvertentiam hoc dictum non fuisset, haberetur praeiudicium contra bonum commune. Episcopi debent servare ius; attamen iisdem etiam debet concedi protectio, ut illa, quae legitime statuta sunt pro bono communi fidelium, non facile inefficacia fiant. Hac ratione illa quae dicuntur in can. 24 CIC videntur, practice, non esse mutabilia.

Ill.mus quartus Consultor animadvertisit quod in canone voluimus restringere capacitatem Superioris dandi praecepta; potest nempe statui exceptio; ergo ipse petit ut remaneat illa norma de qua in § 2.

Idem sentit Rev.mus sextus Consultor.

Rev.mus septimus Consultor non videt necessitatem repetendi verba: « cessant iure praecipientis resoluto » in § 2 huius canonis. Ratio: quia iam in § 1 dicitur: « nisi aliud expresse caveatur », idest, quod quaedam praecepta non cessant, resoluto iure praecipientis.

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit quod omne praeceptum imponeat obligationem aut coarctat ius.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut omittantur verba: « quibus personae obligatio imponitur » et dicatur tantum « quibus personae ius coarctatur ».

Rev.mus septimus Consultor aestimat textum esse servandum, quia ius Superioris sufficienter est caustum et quia adest ratio psychologica: sunt psychologicae relationes, quae dantur inter Episcopum, v. gr. Decretum ferentem et subditum, cui tale praeceptum imponitur.

Concordat Ill.mus tertius Consultor, animadvertisens ulterius quod iam in textu satis caustum est ius Superioris.

Ill.mus quartus Consultor adhaeret praecedentibus Consultoribus, etiam ob protectionem iurium personarum in casu, quae semper salva esse debent, et quidem pro utraque parte.

Rev.mus sextus Consultor tenet adhaerendum canoni 2 prouti stat, cum nulla adsit, sua sententia, ratio ad illum mutandum et aliunde caustum sit casui, quo expedit ut quaedam praecepta permaneant, etiam resoluto iure praecipientis.

Rev.mus secundus Consultor suas facit praecedentes rationes, nominatum illas psychologicas, quasque in praecedenti Sessione potius « personales » appellavit. Illis addit criterium distinctionis legem, ex sese perpetuam, sensu in doctrina explicato, inter et praeceptum, quod proinde ex sese non perpetuum seu mansurum, sed transitum aestimandum.

Rev.mus quintus Consultor, dum adhaeret praecedentibus sententiis, suggerit ut haec particula addatur: « *natura sua* » (praecpta, natura sua transitura).

Ill.mus octavus Consultor petit ut canon maneat prouti est.

Rev.mus primus Consultor petit ut hac de re audiatur Exc.mus quidam Consultor, huius nostri Coetus Consultor, nunc vero absens, quia legitime impeditus.

Rev.mus septimus Consultor, Ill.mus tertius Consultor, una cum secundo, quinto et sexto Consultoribus, animadvertisunt § 2 eiusdem canonis 2 nimiis « quibus » abundare. Unde unanimi consilio Consultores petunt ut talis, seu actualis § 2, etiam hoc sub aspectu novam redactionem accipiat. Quod facere Rev.mus Praeses promittit.

Reliqui canones unanimi consilio probantur.

DISCEPTATIO « DE INSTRUCTIONIBUS ET DECRETIS »

Textus canonum a Rev.mo Secretario Ad. paratus sequens est:

Canon 1

§ 1. Instructiones, quibus nempe, ad usum praesertim eorum quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur, praescripta legum declarantur atque rationes in iisdem exsequendis servandaevolvuntur et determinantur, legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent.

§ 2. Normae instructionum, quas quidem observare debent ii quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur, praescriptis legum quas declarant aut evolvendo complent, non derogant, et quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti, quae eas edidit, eiusve Superiore, sed etiam suppressa lege ad quam declarandam exsecutionique mandandam datae sunt.

Canon 2

Decreta generalia, quae feruntur ab aliquo legislatore ecclesiastico, intra fines suae competentiae, pro communitate legis recipienda capace (qualia sunt Decreta Concilii oecumenici, Decreta Conciliorum particularium et Episcoporum Conferentiarum), proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 3

Decreta generalia, quibus praescripta statuuntur communia praeter aut contra leges vigentes consuetudinesve probatas, ferre non valent ii qui potestate exsecutiva tantum gaudent, nisi in casibus particularibus talis potestas ipsis a legislatore competenti expresse fuerit concessa; quae vi talis concessae potestatis servatisque conditionibus in actu concessionis statutis eduntur decreta generalia, vim legis habent et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 4

§ 1. Decreta generalia exsecutionis, quibus nempe ad normam ipsius legis pressius determinantur modo in lege exsecutioni mandanda sequen-

dae, ferre valent, intra fines suae competentiae, qui potestate gaudent exsecutiva.

§ 2. Decreta generalia exsecutionis eos omnes obligant qui tenentur legibus quarum modos exsecutionis definiunt.

§ 3. Decreta generalia exsecutionis non derogant legum praescriptis, et quae eorum praescripta legibus sint contraria omni vi carent; vim habere desinunt revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutionem curandam data sunt.

Canon 5

§ 1. Decreta particularia, quibus quoad casum particularem legis declaratio datur eiusve exsecutio urgetur, dare possunt, intra ambitum suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent, atque, ad normam iuris de processibus, qui potestate gaudent iudiciali.

§ 2. Decreta particularia obligant solas personas pro quibus data sunt; vim habere desinunt revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege cuius exsecutionem urgent.

ANIMADVERSIONES GENERALES

Rev.mus Secretarius Ad. aperit discussionem memorans principium eidem obiter memoratum a Rev.mo secundo Consultore, in Ecclesia, scilicet potissimum in sic dicto alto livello seu in vertice ecclesiasticae hierarchiae non valere montesquianum principium circa sic dictam « division des pouvoirs ». Eapropter tractanda materia circa Documenta, quae a Romana Curia eduntur (Instructiones, Decreta aliaque id genus), non poterit non offerre neque paucas neque leves difficultates, praesertim — subiunxit Rev.mus secundus Consultor — prae oculis si habeamus (et hoc facere debemus) canonem 7.

Ill.mus tertius Consultor has duas quaestiones proponit relate ad definitionem « Instructionum », quae eodem canone 1 continetur: prima, Instructiones suntne exclusive executoriae? An vero etiam « compltentiae » iuris vigentis? Secundum, in hac definitione conficienda agitur solummodo de earumdem Instructionum auctore vel auctoribus nulla facta mentione *de subditis*, sive populo?

Rev.mus Secretarius Ad. respondet substantialiter: pro completione (iuris vigentis) adsunt Decreta. Dein, quae dicuntur in hac definitione respiciunt solum instructionum auctores.

Ipse Rev.mus Secretarius Ad. hanc quaestionem suscitavit, utrum nempe potestas legifera sit delegabilis necne. Civilis — respondit ipse — numquam. Secus vero in Ecclesia. Adest tamen aliquod responsum, iuxta quod Episcopus non potest delegare hanc legiferam potestatem.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quod in hac materia, quin negetur thesis de delegabilitate in relationibus R.P. inter et Eiusdem Organa administrativa, perpenso attamen relato canone 7, potius loquendum esset de « reciproca collaboratione », insuper immediata, personali, frequenti inter Papam et eadem Organa Administrativa, prout ex quotidiana praxi patet.

Tunc Rev.mo Secretario Ad. rem proponente, ad quaestionem deve- nitur de necessitate proponendi, quinimmo, et statuendi aliquam « authenticam » definitionem verbi « Instructionis » vel « Instructio- num ». Ratio, quia secus, prosequitur illa confusio, illud chaos, inducta praesertim ab Instructionibus a SS.RR. Congregationibus datis quibus non semel derogatum fuit iuri communi, legiferum munus, ut dixerimus, usurpantibus.

Accedit Rev.mus primus Consultor et ipse asserens necessitatem fixandi harum Instructionum limites, allato aliquo exemplo cuiusdam Instructionis, valde discussae circiter annum 1936, in aliquibus Codici derogantis.

Accessit pariter Ill.mus quartus Consultor, memorans, ex historia, factum feudalismi ecclesiastici, etiam in regimine eiusdem Ecclesiae exercitati, quem contra Ecclesia Conciliaris dimicavit.

Rev.mus secundus Consultor, imprimis, adhaesit desiderio vitandi, utique, confusiones, derogativis Instructionibus SS. Congregationum inductas, quaeque attamen confusiones non sunt plus aequo exaggeran- dae. Una eaque discutibilior fuit *Provida Mater Ecclesia*, de qua ipse Rev.mus secundus Consultor in voto huic Coetui oblato. Secundo, neque ideo necessarium ipse iudicat *fixare*, et quidem authentice, earumdem Instructionum tum sensum, tum etiam limites. Ratio: ad hanc confusio- nem vitandam suppetit nobis nota distinctio duplicitis muneris, quod RR. CC. absolvere possunt, munus *ordinarium* (intra limites facultatum, quas iisdem Romanus Pontifex tribuit) et munus *extraordinarium* (vi extra- ordinariarum facultatum, quas Romanus Pontifex singulis in casibus solet iisdem Organis concedere). Aliis verbis: non ad nomen, vel nomina attendendum, sed *ad approbationem*, quam eaedem Instructiones se- cumferant, an nempe in communi vel, e contra, *specifice*, Romano Ponti- fice, videlicet, « *discrepantium* » non modo prius sciente, verum etiam postea adprobante, iuxta M.P. *Cum Codicem Iuris Canonici*, n. III.

Sed plus — subiunxit idem Rev.mus Consultor — haec duo in casu in lucem clariorem ponenda. Primum, ut quaestio doctrinaliter agitata *circa formalitates requisitas* pro approbatione in forma specifica danda, solvatur. Secundum, ut in talibus derogantibus Instructionibus, sive in initio, sive etiam in fine, clare, indubitanter, totidem explicitis verbis dicatur *quoniam* eadem approbatae fuerunt *approbatione*.

Rev.mus octavus Consultor putat nihilominus expedire ut sensus « Instructionum », cohaerenter quoque iuribus civilibus, aliquo canone fixetur.

Idem Rev.mus secundus Consultor quaestionem proposuit de proprietate vel minus *locali* horum canonum, an, scilicet, iidem ponendi hoc in Libro I, utrum vero potius ibi ubi agetur de iisdem Administrativis Organis. Ratio dubii: quia hic et nunc *fontes* iuris inspicimus ac consideramus, non vero prudentem *usum* eiusdem iuris vel iurium, quaestio haec (de usu) potius eorumdem Organorum *activitatem* respiciens.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet hac in sede hos canones ponendos esse.

Ad canonem 1

Ad § 1: omnes Consultores concordant ut supprimatur verbum « *praesertim* ».

Rev.mus secundus Consultor hoc desiderium, circa canonem 1 huius seriei, exprimit ut ipse, videlicet, seu eiusdem § 1 in duas partes dividatur. In quarum prima, ipsa Instructionum notio ponatur; in altera, vero, earumdem Instructionum auctor, vel auctores. Ratio: quia prout iacet nimis densum ac ideo non clarum appareat.

Non pauci e Consultoribus (primus nempe, septimus, tertius ac secundus) petunt proprium verbum seligendum pro tali definitione.

Quoad Instructionum notionem dandam, Rev.mus secundus Consultor proponit formulam in aliis canonibus usurpatam, v. gr. in can. 2195: « *Nomine delicti in iure ecclesiastico intelligitur, etc.* ».

Rev.mus Praeses praefert hanc breviorem, scilicet: « *Instructiones intelliguntur* ».

Rev.mus secundus Consultor proponit: « *normae* ».

A ceteris non acceptatur. Neque illud « *decisiones* » Consultoribus placet.

Rev.mus idem Consultor aliud proponit, idest illud e M.P. Benedicti XIV desumptum: « *explanationes* », sed Rev.mus Secretarius Ad. putat tale verbum non esse sufficiens, et promittit novam se facturum redactionem.

Ad § 2: Fere omnes Consultores (septimus nempe, tertius, sextus, secundus ac quintus) animadvertunt inutilem repetitionem quae in § 2 eiusdem can. 1 habetur (quas quidem observare debent ii quorum etc.).

Rev.mus Secretarius Ad. recurrit ad distinctionem quod, videlicet, in § 1 agitur de notione Instructionum, dum in § 2 de illis qui tenentur illa munera adimplere, seu de obligationibus Instructionum Auctores ligantibus.

Ad § 3: Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco « suppressa lege » dicatur « cessante lege ».

Propositio omnibus placet.

Ad canonem 2

Quoad canonem 2 Consultoribus primo et quarto non placet adiectivum « generalia » (Decreta *generalia*, etc.).

Rev.mus Secretarius Ad. respondet quod talia praecepta generalia admitti debent vel ratione personarum (plures parochi, v. gr., saltem successivi) vel materiae vel extensionis. Admitti quoque debent in condicionibus particularibus, de quibus postea, ad canonem 5 h.s.

Quaerit Rev.mus Secretarius Ad. an exemplificativa verba inter parenthesis posita (« qualia sunt Decreta Concilii Oecumenici, etc. ») remanere debeant vel non in definitiva redactione.

Rev.mus secundus Consultor respondet affirmative. Ratio: quia Codex noster actualis (ergo etiam futurus) indolem habet nedum theoreticam, seu scientificam, verum etiam « practicam ». Est Codex legendus non solum a studentibus et Professoribus Iuris Canonici, verum quoque a non paucis vel parochiis vel coadiutoribus, etc., quibus non suppetit opportunitas frequentandi superiora studia iuridica.

Obicit Rev.mus Secretarius Ad. quod talia exempla non congruunt textui iuridico. Unde talis parenthesis omittenda. Fit suffragium et maior pars stat pro negativa, seu illa exempla non afferenda.

Duo Consultores (quintus scilicet et secundus) petunt ut verbum « ab aliquo (legislatore) » mutetur in traditionalem codiciale formularum: « a competenti auctoritate », quod Rev.mo Secretario Ad. non placet.

Rev.mus octavus Consultor invenit difficultatem in illa expressione finali « (Decreta generalia) *proprie sunt leges* ». Ergo si proprie sunt leges, incongruum videtur quod appellantur Decreta!

Rev.mus secundus Consultor arrepta occasione, dicit quam difficile igitur esse a maioribus nostris non fixatam, neque hodiernis temporibus adhuc fixabilem, terminologiam, velle illam nunc fixare.

Distribuitur inter Rev.mos Consultores nova redactio, quam Rev.mus Secretarius Ad. hesterna die promiserat, canonum 1 et 2 De Instructiobibus et Decretis:

En textus:

Canon 1

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur eosque in legum exsecutione obligant; eas legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti quae eas edidit eiusve Superiore, sed etiam cessante lege ad quam declarandam exsecutione mandandam datae sunt.

Canon 2

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate legis recipienda capace, feruntur praescripta communia, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Aut: Decreta generalia, quibus ab aliquo legislatore ecclesiastico, infra fines suae competentiae, pro communitate legis recipienda capace, feruntur praescripta communia, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Lecto hoc novo primo canone a Rev.mo Secretario Ad., idem canon ab omnibus Consultoribus unanimiter approbatur.

Lecto canone 2 h.s., imprimis, publico suffragio submittitur quaestio circa quamnam, ex duabus redactionibus propositis, seligendam.

Rev.mi Consultores, nulla facta discussione, in favorem prioris redactionis inclinantur.

Ill.mus tertius Consultor petit a Rev.mo Secretario Ad. an talia generalia Decreta, iuxta finalem pericopem « proprie sunt leges » sint et ipsa *leges*.

Cui quaesito Rev.mus Secretarius Ad. respondet affirmative: sunt leges.

Rev.mus secundus Consultor, subsumens difficultatem a Cl.mo tertio Consultore suscitatam, imprimis animadvertisit quomodo igitur sub nomi-

ne generalis Decreti veniat aliqua vel aliquae leges quaeque attamen in casu non leges, sed Decreta vocantur.

Idem Rev.mus secundus Consultor memorat terminologiam, hac de re, securam, v. gr. a cl.mo T. Toso, explicante canonem 6, n. 1º ac distinguente inter leges (quae sunt proprie tales) et quaedam alia iuridica instituta, quae « legibus adsimilantur » (v.g. statuta Capitulorum, piae fundationes, ad legis categoriam per Legislatorem evectae, etc.).

Ill.mus quartus Consultor opinatur quaestionem solvi posse proponendo legem « uti genus », sub quo locus adesset caeteris diversis speciebus.

Rev.mus octavus Consultor tenet quod in casu agatur de aliqua quaestione potius terminologica, sed in qua appareat quod habeatur quaedam confusio.

Expletur discussio et unanimiter acceptatur expressio posita in novo canone, idest: « Decreta generalia... proprie sunt leges ».

Itaque textus canonum 1 et 2 erit:

Canon 1

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur eosque in legum exsecutione obligant; eas legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explica aut implicita ad auctoritate competenti quae eas edidit eiusve Superiore, sed etiam cessante lege ad quam declarandam exsecutione mandandam datae sunt.

Canon 2

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate legis recipiendae capace, feruntur praescripta communia, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Ad canonem 3

Statim arripitur disceptatio circa canonem 3 h.s.

Quaerit Rev.mus Secretarius Ad. an expediret adiungere pericopem « ad normam iuris », idest: « nisi in casibus particularibus talis potestas ad normam iuris ipsis... expresse fuerit concessa ».

Et omnes proposito quaeſito affirmative respondent.

Quaerit Rev.mus primus Consultor quid significet « consuetudinesve *approbatas* », an, scilicet, intelligendae in casu non modo consuetudines iuris, verum etiam facti.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet: consuetudines iuris, non autem facti.

Rev.mus secundus Consultor, adhaerens huic responsioni, afferit hoc argumentum: consuetudo facti potius quam « probata » est adhuc « *approbanda* », semel verificatis conditionibus, v. gr. requisiti temporis, a legislatore pro concessione legitimi consensus requisitis.

Quaerit iterum Rev.mus primus Consultor utrum haec potestas exsecutiva delegari possit necne. Cui interrogationi respondet Rev.mus Secretarius Ad.: « affirmative, quando sit ordinaria talis exsecutiva potestas ».

Ill.mus quartus Consultor quaerit an ergo dari possint Decreta generalia contra legem.

Et Rev.mus Secretarius Ad. respondet negative, dummodo ad huius 3 canonis normam, seu « ad normam iuris », talis potestas fruentibus potestate exsecutiva a legislatore competenti expresse fuerit concessa.

Rev.mus septimus Consultor quaerit utrum formula negativa, adhibita in casu: « ferre non valent » exprimi deceret formula positiva, v. gr. illi generalia Decreta ferri valent.

Idem Rev.mus Consultor proponit ut loco « expresse » (expresse fuerit concessa) ponatur « explicite ».

Obicit Rev.mus secundus Consultor quod « expresse » et « explicite » substantialiter unum idemque sunt. Deinde, neutrum poni deberet (« expresse », vel « implicite »), cum sat superque sit in casu formula illa admissa: « ad normam iuris » (nisi... talis potestas *ad normam iuris...* ipsi, etc.); ipsius iuris, ergo, erit statuere *modum* (explicitum, expremum, etc.) quo haec sit concedenda potestas; item, an scripto, an vero oretenus, etc.

Ill.mus quartus Consultor quaerit utrum haec facultas possit « habitualiter » delegari.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet quod, iuxta textum h.c., haec potestas concedi debet « in casibus particularibus ».

Ad canonem 4

Ad § 1: Rev.mus secundus Consultor proponit mutare verbum « *exsecutionis* » (Decreta generalia *exsecutionis*) in verbum « *exsecutoria*, vel *exsecutorialia*, vel *executiva* ». Ratio: quia *executio* est substanti-

vum, dum in casu agitur de aliquo adiectivo, qualificante, nimirum, generalia Decreta, de quibus nunc.

Obicit Rev.mus Secretarius Ad. quod in linguis nostris vulgaribus substantivum plerumque adhibetur.

Instat Rev.mus secundus Consultor: linguae vulgares habent articulum, vel articula, quibus e contra caret lingua latina. Linguae vulgares, itaque, bene quidem substantivo uti possunt, sed articulo suffulto, quod non verificatur in lingua latina, in qua substantivum formam suscipit adiectivi qualificantis.

Admittitur igitur formula: Decreta generalia exsecutoria.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut omittatur — utpote inutilis — pericope: « ad normam legis », etiam quia iam supra, can. 3, posita est.

Concordant Rev.mi Consultores.

Ill.mus quartus Consultor petit a quo verbo pendeat adhibitum gerundium, scilicet: « mandanda », an a modis, utrum vero a « lege ».

Rev.mus Secretarius Ad. respondet quod pendet a lege, seu sese refert ad legem, non vero ad « modi », seu modos.

Circa § 2 convenient Rev.mi Consultores ut loco exsecutionis ponatur « applicationis ». Et ulterius, vi legis uniformitatis vel uniformationis terminologiae, iterum loco « Decreta generalia exsecutionis », positum fuit verbum: « exsecutoria » (Decreta generalia exsecutoria).

Eadem animadversio valet quoad finalem expressionem: « lege ad cuius exsecutionem », cuius loco ponendum verbum: « ad cuius applicationem ».

Quoad § 3 huius canonis 4, Ill.mus tertius Consultor observat discri-
men sequens, relate ad § 3 can. 1, ubi, praeter « competentem auctoritatem », memoratur quoque « eiusve Superior », qui autem « Superior » non appetet in hac parallela § 3 canonis 4.

Omnibus Consultoribus consentientibus, etiam ad uniformitatem terminologiae, verbum « Superior » § 3 can. 1 delendum.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verba: « legum praescriptis », sic simplificentur: « legibus » (Decreta generalia exsecutoria non derogant legibus). Quod a Consultoribus unanimi consensu acceptatur.

Rev.mus primus Consultor, in canone 4 § 2, loco verbi « sequendi » (« modi... sequendi »), petit ut ponatur verbum « servandi » (« modi servandi »); quod ab omnibus Consultoribus admittitur.

Ad canonem 5

Ad § 1: Circa novum canonem 5, Rev.mus secundus Consultor hanc proponit difficultatem, utrum, scilicet, non habeatur idem per idem quando dicitur: « *Decreta particularia*, quibus quoad casum *particularem* legis declaratio datur, etc. ».

Textus placet omnibus uti est.

Ad § 2: paragraphus 2 sic quoque modificatur, ut loco « *exsecutionis* » ponatur « *applicationis* ».

Rev.mus octavus Consultor obicit quod verbum « *applicare* » plures sensus habet.

Respondet Rev.mus secundus Consultor quod talis sensus in casu specificatur ex textu et contextu, ad normam can. 18.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « *tantummodo* » loco « *solas* ».

Placet textus omnibus cum emendationibus.

DISCEPTATIO « DE STATUTIS ET ORDINIBUS »

Textus canonum a Rev.mo Secretario Ad. paratus sequens est:

Canon 6

Statuta quae vocantur praescripta communia alicui communitati legis recipiendae capaci, intra fines suae competentiae, a legislatore in Ecclesia non supremo data, sunt leges ecclesiasticae et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 7

§ 1. Statuta in sensu proprio sunt quae in christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis, aut in rerum universitatibus, ex pacto inter membra aut fundatores inito conduntur regulae, quibus definiuntur consociationis universitatis finis, eius constitutio et regimen atque actionis rationes.

§ 2. Statuta consociationis obligant solos christifideles qui legitime eiusdem sunt membra, et quidem ex ipsa conventione inita, nisi quaedam consociatio ex concessione legislatoris aut consuetudine probata potestate leges ferendi instructa sit; statuta rerum universitatis obligant eos qui eiusdem moderamen curant aut cum eadem negotia pertractant.

§ 3. Quae in statutis, seu constitutionibus, habentur praescripta a Superioribus potestate legifera legitime instructis rite condita et promulgata, sunt leges ecclesiasticae et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 8

§ 1. Ordines sunt regulae seu normae servandae in personarum conventibus, sive conventus ab auctoritate ecclesiastica edicti sive a christifidelibus libere advocati sint, necnon in aliis celebrationibus, et quibus definiuntur quae ad constitutionem, moderamen et rerum agendarum rationes pertinent.

§ 2. In conventibus celebrationibusve ab auctoritate ecclesiastica edictis, normis Ordinis, vi decreti ab auctoritate competenti dati, tenentur qui ad conventus celebrationesve legitime convocati, in eisdem partem habent; in conventibus libere a christifidelibus advocatis, normis Ordinis tenentur qui eosdem participant.

Ad canonem 6

Ill.mus quartus Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. proponunt ut in prima linea deleantur verba « statuta quae vocantur ». Placet omnibus.

In secunda linea ipsi proponunt ut supprimantur verba « intra fines suaे competentiae ». Placet omnibus.

Proponunt etiam ut loco « in Ecclesia non supremo » dicatur tantum « competenti ». Placet omnibus.

Ad canonem 7

Ad § 1: Rev.mus primus Consultor proponit ut loco « regulae » ponatur verbum « ordinatio vel dispositio ».

Ill.mus quartus Consultor praeferit formulam « Regulae iuris » loco « regulae ».

Omnes Consultores praeferunt verbum « ordinatio », excepto Rev.mo octavo Consultore, qui mavult verbum « regulae ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit, in tertia linea, ut loco « aut in rerum ... inito » dicatur: « ... sive privatis, ex pacto inter membra aut in rerum universitatibus a fundatoribus inito ».

Placet omnibus Consultoribus.

Ad § 2: Ill.mus quartus Consultor proponit ut tollatur verbum « Christifideles », quia in associationibus possunt esse alii qui non sunt christifideles.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco « solos christifideles » dicatur « solas personas ». Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco « leges ferendi » dicatur « legifera ».

Propositio omnibus placet.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit novum textum canonum de Statutis et Ordinibus.

Canon 6

Praescripta communia alicui communitati legis recipiendae capaci, a legislatore competenti in Ecclesia non supremo data, si vocantur statuta, sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 7

§ 1. Statuta in sensu proprio sunt quae in christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis, ex pacto inter membra inito, aut in rerum universitatibus a fundatoribus, conduntur ordinationes, quibus definiuntur consociationis universitatis finis, constitutio et regimen, atque actionis rationes.

§ 2. Statuta consociationis obligant solas personas quae legitime eiusdem sunt membra, et quidem ex ipsa conventiones inita, nisi quaedam consociatio ex concessione legislatoris aut consuetudine probata legifera potestate instructa sit; statuta rerum universitatis obligant eos qui eiusdem moderamen curant aut cum eadem negotia pertractant.

§ 3. Quae in statutis, seu constitutionibus, habentur praescripta a Superioribus potestate legifera legitime instructis rite condita et promulgata, sunt leges ecclesiasticae et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Ad canonem 7 §§ 1 et 2

Rev.mus primus Consultor putat non esse sufficientem expressionem « ex pacto inter membra inito ». Idque quia adsunt nonnullae hodiernae doctrinae, populo Dei nimiam auctoritatem tribuentes, illamque, e contra, minuentes ad hierarchiam spectantem. Unde petit ut verbo « inito » adiungatur verbum « et approbato ».

Rev.mus Secretarius Ad. clariorem in lucem hanc difficultatem ponit memorans quod statuta, v. gr. pro Consiliis Praesbyteralibus ac Pastora-

libus, iuxta exsecutivam Const. *Ecclesiae Sanctae*, debent ab Episcopo approbari; approbatio creativa, observat Rev.mus primus Consultor.

Difficultate a Consultoribus recognita, Rev.mus secundus Consultor proponit ut haec formula textui adiiciatur, scilicet: « ad normam iuris » (« ex pacto inter membra, *ad normam iuris* inito »), quae acceptatur.

Rev.mus secundus Consultor, sententiam iam propositam ab Ill.mo quarto Consultore sequens, ut expressio « christifidelium » hac altera sufficiatur: « personarum », eamdem emendationem proponit pro hoc canone 7.

Rev.mus Secretarius Ad. putat non adesse in casu eamdem rationem, cum « associationes », de quibus, semper « christifidelium sint », quidquid sit de praesentia unius alteriusve non « christifidelis ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut canones 6 et 7 § 1 ita contrahantur ut sequitur:

« Statuta, licet hoc nomine vocentur etiam leges a legislatore competenti in Ecclesia non supremo conditae, in sensu proprio sunt quae in christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis, aut in rerum universitatibus conduntur ordinationes (aut: vigent ordinationes), quibus definiuntur consociationis universitatis finis, constitutio et regimen, atque actionis rationes ».

Rev.mus septimus Consultor petit quaenam proprior sit latinitas: « in sensu proprio », utrum, autem, simplicius « sensu proprio ».

Rev.mus secundus Consultor tenet quod utraque adhiberi potest, proprius autem, ultima. Quae et a caeteris approbattur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « editae » loco « conditae ». Placet omnibus.

Ipse Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ponantur verba « ad normam iuris » ante verbum « condantur ». Placet omnibus.

Ad canonem 7 § 3

Quoad § 3, suggestente Rev.mo Secretario Ad., verbum « a Superioribus » in verbum « a Moderatoribus » mutatur. Quod et omnibus placet Consultoribus, ratione materiae (de iure religiosorum).

Iuxta observationem alias factam a Rev.mo primo Consultore, unanimiter tenent Consultores verbum « ecclesiasticae » (leges *ecclesiasticae*) delendum.

Placet textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus, cum dictis emendationibus.

Ad canonem 8 (nunc 7)

Canon 8, de Ordinibus, lectus et breviter expositus a Rev.mo Secretario Ad., ab omnibus acceptatur.

Cl.mus quartus Consultor quaerit utrum expediret et alias celebrazione memora, v. gr. liturgicas.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet quod verbum est, ex intento, genericum, comprehendens, proinde, si casus ferat, omnes celebrationes.

Cl.mo tertio Consultore postulante, supprimitur, unanimi consilio Consultorum, pericope « seu normae ».

Cl.mus quartus Consultor quaerit an addi possint aliqui canones de sic dictis Directoriis?

Rev.mo Secretario Ad. (caeterisque aliis Consultoribus postea) videtur rem nondum maturam esse, cum difficile sit huius verbi exactum statuere sensum.

Rev.mus primus Consultor tradit aliquas animadversiones circa praecedentem discussionem circa perpetuitatem vel minus praceptorum, postulans — licet nolit ipse insistere — ut actis eaedem uniantur.

Rev.mus secundus Consultor observat ad rem quod Decretum, de quo in hac sede, est *genus*, sub se, igitur, quasdam continens species, v. gr. administrativum, poenale, etc. Generi, itaque, seu pracepto ut sic, non sunt tribuenda ea quae sunt speciei, idest, vel administrativum, vel poenale. Sed et praeterea — debitaque reverentia erga diversam sententiam servata — quod praeceptum aliquod in praxi transiens sit, vel, e contra perpetuum — iugiter perseverans etiam resoluto iure praecipientis —, non pendet a doctrina, seu principio de non perpetuitate eiusdem praecetti, etiam a Consultoribus (cum Codice, can. 24) admisso. Ratio: quia « aliud potest caveri ». Habetur proinde et principium (transitum praeceptum) et illico exceptio (non transitum in nonnullis adjunctis, ibidem recensitis). Igitur pendet (haec transitorias, vel, e contra, perpetuitas) *a prudenti et sapienti iudicio* praeceptum ferentis.

Rev.mus Secretarius Ad. summis lineamentis innuit materiam proximo Coetu discutiendam, de delegabilitate, scilicet, vel minus legiferae potestatis; etiam: quomodo quae superius statuimus (in praecedentibus novis canonibus) connecti possint cum generali titulo et materia huius Pontificiae Commissionis, de Normis Generalibus.

QUAESTIO DE PRAECEPTIS QUAE PERSONAE IUS COARCTENT

Rev.mus primus Consultor ponit quaestionem de can. 2, § 2 et declarat quod:

Quoad praecepta, quae personae ius coarctent, haec notantur:

- 1) *Inter principia quae Codicis iuris canonici recognitionem dirigant,* habetur principium VII: De ordinanda procedura ad tuenda iura subiectiva. Hoc principium fere unanimiter a Synodo Episcoporum 1967 approbatum est; plures Patres approbationi modum addiderunt. Inter hos modos habetur etiam votum: si datur facultas impugnandi Ordinariorum decretorum, exercitium eius ita ordinetur, ut auctoritas Ordinarii sit salva nec damnum patiatur eorum officium expedite agendi pro bono Communis ipsis concredite (7 Patres).
- 2) Si praeceptum cessat resoluto iure praecipientis, procedura canonica, quae forte iam fere ad terminum pervenit, tota inefficax fit. Quod praeiudicium gignit, sive pro Ordinario, sive pro recurrente contra decretum Ordinarii.
- 3) Si dicatur Ordinarium posse praecepto addere *clausulam de non cessatione* resoluto iure suo, dicendum videtur quod talis clausula in praecepto, quod in forma canonica imponitur, ut ipsum canonice urgeri possit, *irrealiter exigitur* etiam ex eo, quod Ordinarius non habens ullam causam admittendi quod ius suum resolvitur durante procedura, secundum communiter contingentia, talem clausulam non ponit.
- 4) Si dicatur quoad singulas species procedurae posse poni normam, praeceptum post initium procedurae non iam cessare posse, dicendum est quod haec norma tunc revera in omnibus et singulis speciebus procedurae ponenda esset. Hoc supposito, commentatores Codicis recogniti per inductionem probabunt: praeceptum, quod canonice urgeri potest, numquam cessare resoluto iure praecipientis. Inde concludent *partem systematicam quoad haec praecepta laborare defectu*, quatenus non indicantur illa, quae natura talium praceptorum exigit; hunc defectum eo graviorem esse, quo in can. 24 CIC iam coniungatur possilitas urgendi canonice praeceptum, cum eius duratione etiam resoluto iure praecipientis. Hoc sapienter factum est, quia procedura canonica habet suam, imminentem sibi, logicam. (De cetero non sine ratione putari potest,

quod hic defectus iam detegitur, quando schema de praceptis mittitur Conferentiis Episcoporum, sicuti hoc coniici potest ex modo in Synodo proposito, de quo supra).

5) Procedura canonica, secundum communiter contingentia, applicatur *frustra applicatis remediis mere pastoralibus et paternis*. Attamen, hisce suppositis, *procedura veram serietatem* habere debet, quae requiritur, ut salvum sit *ius eius, qui recurrat contra praeceptum*, necnon *ius et officium Ordinarii*, cui incumbit cura pro bono communi Ecclesiae. Aliis verbis, procedura non debet unquam habere indolem ludi aleatorii, et nequidem speciem seu apparentiam ludi aleatorii.

Proponente Rev.mo Secretario Ad., aperitur quaestio de praceptis, an, videlicet, canon ultimo redactus debeat remanere uti est, utrum vero emendandus.

Rev.mus septimus Consultor sentit eiusdem canonis redactionem esse perfectam, quatenus primo habetur principium (« cessant resolutio iure praecipientis »), deinde, exceptio « nisi aliud expresse caveatur ». Refert quoque ipse morem hodiernum existentem in Gallia, post magnum Congressum Lapurdensem, iuxta cuius conclusiones tunc tantum devniendum ad ferendum praeceptum poenale postquam sic dicta pastoralis via sit exhausta.

Rev.mus Secretarius Ad. interrogat Cl.mum octavum Consultorem quomodo se habeant hae res in Hispania, sed hic respondet se non cognoscere proxim ad rem.

Cl.mus tertius Consultor animadvertisit quod pro hac quaestione penitus enodanda, distinguendum esset inter pracepta administrativa illaque, certo specialia, poenalia. Quae autem distinctio melius fieri deberet in propria sede.

Cl.mus quartus Consultor memorat quomodo actualis modus dandi pracepta influxum subierit a Moralistis, unde non pauci conflictus qui in America (Septentrionali) dantur Episcopos inter et clericos, in materia applicationis actualis disciplinae.

Rev.mus quintus Consultor, praemisso se nihil aliud habere addendum iis quae in praecedenti Sessione dixit, Rev.mo Secretario Ad. rogante, ait, primo: quaestionem suscitatam potius ad proxim pertinere, non autem ad doctrinam, seu principia in iure. Haec, et perfecta necnon sufficientia ad hoc sunt ut Praesules agant quando hac de re sit agendum. Superiorum, itaque, est in eodem praecepto indeque a limine, statuere an tale praeceptum, ob peculiaria rei adiuncta, non transiturum sit, sed mansurum. Praxis, de caetero, maioribus nostris haud ignota, qui sole-

bant in eodem pracepto has similesve apponere clausulas: « praeceptum valitum ad beneplacitum nostrum (praeceptum morte praecipientis lapsurum), vel ad beneplacitum Sedis (praeceptum permansurum, cum sedens, utique, moriatur, non vero ita sedes) ».

De caetero — concludebat Rev.mus secundus Consultor — si canon, prout nunc confectus est, mutari deberet, tunc id erit mutando exceptionem in principium, principium autem in exceptionem, quod esset subvertere doctrinale principium, atque proin et canonicum a maioribus nostris admissum et a CIC plene acceptatum, cum canon 24 dicat: « Praecepta singulis data... iudicialiter urgeri *et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum, aut coram duobus testibus imposita fuerint* ».

Rev.mus Secretarius Ad., auditis ex ordine omnibus singulisque Consultoribus, rem decernit solvendam suffragiis, tribus hisce concordatis dubiis, nempe: utrum canon servetur uti est; utrum admittenda eidemque canoni adnectenda clausula, de qua tertius, quartus, octavus et quintus Consultores; utrum vetus disciplina servanda. Primum dubium tantum unum retulit suffragium, illud Rev.mi secundi Consultoris; secundum autem, illud maioritatis Consultorum.

Rev.mus septimus Consultor, ratione connexionis huius materiae cum cessatione Vicarii Generalis, resoluto iure Episcopi, petit quidnam hac de re statuerit relativus huius Pontificiae Commissionis Coetus.

Rev.mus Secretarius Ad. interrogantis votis satisfit, legens canones ad rem iam adparatos et confectos.

* * *

Illico Rev.mus Secretarius Ad. hoc novum argumentum Consultoribus proponit tractandum, scilicet, de delegabilitate vel minus *legiferae* potestatis, inferioribus Romano Pontifici (puta, Episcopis, ipsis Conferentiis Episcopalibus) competentis. Pressius autem utrum legiferae huic potestati applicari possit praescriptum canonis 199 § 1, nempe: « Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri *ex toto* vel *ex parte* delegare, nisi aliud iure expresse caveatur ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequentem:

« Potestatem legislativam, quam in Ecclesiis particularibus sibi commisis, Episcopi exercent sive singuli, unusquisque pro dioecesi sibi concredata, sive coniunctim in Conciliis particularibus et Episcoporum Conferentiis, Episcopi per se exercere debent, nec eiusdem potestatis exercitium aliis committere valent nisi in casibus iure expresse definitis ».

Rev.mus primus Consultor proponit vero sequentem textum:
« Potestas legifera ordinaria, sive personaliter, sive collegialiter exercenda, aliis delegari non potest.

Potestas legifera, a Summo Pontifice aut a Concilio Oecumenico, quoad causam particularem, delegata personae vel coetui personarum, aliis subdelegari non potest.

Potestas exsecutoria ordinaria, etiam per decreta generalia exsecutoria exercenda, aliis delegari potest, qui tamen hanc potestatem subdelegare non possunt, nisi potestas subdelegandi concessa fuerit ».

Ad textum propositum a Rev.mo Secretario Ad., rogat Ill.mus tertius Consultor num dici non debeat « ... delegare non valent, nisi vigens sit necessitas ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. exceptionem rectius exprimi formula « nisi in casibus *a superiore auctoritate statutis* ». Haec aditio placet Ill.mo quarto Consultori et Rev.mo quinto Consultori.

Admittitur inde textus propositus.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit deinde loco, ubi hic novus canon inseri posset, an hac in nostra materia *De Normis generalibus*, utrum vero ibi, ubi de ecclesiae potestate agitur (v. gr. in *Lege Fundamentalis* — cuius nonnulli canones 75-80 —, vel etiam *in futuro Codice*). Fere concors Consultorum Patrum sententia in eo fuit ut de hac materia agatur ibi, ubi de Ecclesiae potestate.

In meritum, itaque, prioris propositae quaestionis, Rev.mus octavus Consultor dixit sibi placere novum canonem. Similiter et Cl.mus tertius Consultor, qui eiusdem canonis necessitatem detegebatur in necessitate probe distinguendi facultates delegabiles ab illis quae delegabiles non sunt.

Cui sententiae adhaeserunt pariter Rev.mus septimus Consultor et Ill.mus quartus Consultor.

* * *

Hoc Coetu ad discussionum seu disceptationum finem adproperante, Pontificiae Commissionis Em.mus Card. Praeses gratias agit Consultoribus, ob peractos labores ac iisdem communicat haec quae sequuntur:

Fundamentalem legem quod respicit, facto verbo cum Ss.mo, in animo est illam ad omnes Episcopos, in secunda redactione, Conferendarum tramite, illico mittere. Et quidem sub hoc duplice quaesito: an, imprimis, iidem velint talem legem fundamentalem acceptare; et, secundo, quatenus affirmative, utrum habeant schemati aliquid addendum,

mutandum, corrigendum, etc. Datur iisdem praeterea discretionale tempus pro responsionibus Romam mittendis, usque, vel ante septembris mensem 1971.

Idem faciendum videtur, Em.mi Praesidis sententia, cum caeteris schematibus ad finem tandem perductis.

Huius agendi ratio est quia, ex una parte, totius Codicis promulgatio, nostris in peculiaribus adiunctis, imminens non appareat (potius autem signa temporum sunt contra nos et contra Codicem); ex altera vero parte, Romano Pontifice ita cogitante, expedite, necesse est, ne regnans chaos magis magisque extendatur, ut aliquae leges revera observandae dentur, saltem ad modum experimenti.

Cum autem haec expressio uni alterive e Consultoribus minus placet, Em.mus Praeses sic eam explicat: leges datae ad experimentum — et quaedam habentur postconciliares — non sunt leges a priori peremptuae, sed, e contra, leges iam inde ab ipsarum promulgatione perpetuo valituae, nisi earumdem quaedam instituta ac repetita experientia demonstrentur alicuius rectificationis susceptibiles, ut melius systema servandum in posterum stabiliatur et definitive promulgetur.

Em.mus Praeses deinde sermonem egit de reformationibus, in materia processuali-matrimoniali, nuper pro septentrionali Americana gente ad tempus concessis, et, quidem, ob peculiares circumstantias, item et difficultates quae ibi habentur, ut Sanctae Sedi, ex fide dignis informationibus, notum est.

NICOLAUS PAVONI, *Actuarius*

APPENDIX I

SCHEMA CANONUM, QUI IAM PROBATI SUNT, « DE TEMPORIS SUPPUTATIONE »

Canon 1

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 2

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptionem; secus intermissum.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut per sequenti competit ut ignorantia aut agere non valenti non currat.

Canon 3

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

Canon 4

§ 1. Dies a quo non computantur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel plurimis mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM, QUI IAM PROBATI SUNT,
« DE INSTRUCTIONIBUS ET DE DECRETIS »*Canon 1*

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur eosque in legum exsecutione obligant; eas legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti, quae eas edidit eiusve Superiore, sed etiam cessante lege ad quam declarandam exsecutionive mandandam datae sunt.

Canon 2

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate legis recipienda capace, feruntur praescripta communia, proprie sunt leges et reguntur prescriptis canonum de legibus.

Canon 3

Decreta generalia, quibus praescripta statuuntur communia praeter aut contra leges vigentes consuetudinesve probatas ferre non valent ii qui potestate exsecutiva tantum gaudent, nisi in casibus particularibus talis potestas ad normam iuris ipsis a legislatore competenti expresse fuerit concessa; quae vi talis concessae potestatis servatisque conditionibus in actu concessionis statutis eduntur decreta generalia, vim legis habent et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 4

§ 1. Decreta generalia exsecutoria, quibus nempe pressius determinantur modi in lege applicanda servandi, ferre valent, intra fines suaे competentiae, qui potestate gaudent exsecutiva.

§ 2. Decreta generalia exsecutoria eos omnes obligant qui tenentur legibus quarum modos applicationis definiunt.

§ 3. Decreta generalia exsecutoria non derogant legibus praescriptis, et quae eorum prescripta legibus sint contraria omni vi carent; vim habere desinunt revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutionem data sunt.

Canon 5

§ 1. Decreta particularia, quibus quoad casum particularem legis declaratio datur eiusve exsecutio urgetur, dare possunt, intra ambitum suaे competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent, atque, ad normam iuris de processibus, qui potestate gaudent iudicali.

§ 2. Decreta particularia obligant tantummodo personas pro quibus data sunt; expirant revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege cuius exsecutionem urgent.

APPENDIX III

SCHEMA CANONUM, QUI IAM PROBATI SUNT,
« DE STATUTIS ET ORDINIBUS »

Canones 6 et 7

§ 1. Statuta, licet hoc nomine vocentur etiam leges a legislatore competenti in Ecclesia non supremo editae, sensu proprio sunt quae in christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis, aut in rerum universitatibus ad normam iuris conduntur ordinationes, quibus definiuntur consociationis universitatis finis, constitutio et regimen, atque actionis rationes.

§ 2. Statuta consociationis obligant solas personas quae legitime eiusdem sunt membra, et quidem ex ipsa conventione inita, nisi quae-dam consociatio ex concessione legislatoris aut consuetudine probata legifera potestate instructa sit; statuta rerum universitatis obligant eos qui eiusdem moderamen curant aut cum eamdem negotia pertractant.

§ 3. Quae in statutis, seu constitutionibus, habentur prescripta a Moderatoribus potestate legifera legitime instructis condita et promul-gata, sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Canon 8

§ 1. Ordines sunt regulae seu normae servandae in personarum conventibus, sive conventus ab auctoritate ecclesiastica edicti sive a christifidelibus libere advocati sint, necnon in aliis celebrationibus, et quibus definiuntur quae ad constitutionem, moderamen et rerum agen-darum rationes pertinent.

§ 2. In conventibus celebrationibusve ab auctoritate ecclesiastica edictis, regulis Ordinis, vi decreti ab auctoritate competenti dati, te-tenantur qui ad conventus celebrationesve legitime convocati in eisdem partem habent; in conventibus libere a christifidelibus advocatis, regulis Ordinis tenentur qui eosdem participant.

